

05

A

1096



DISPUTATIO METAPHYSICA

De

VERITATE,

Quam

ADIUVANTE OMNIS VERITATIS

AUCTORE,

In Illustri Leucorea,

PRÆSIDE

Dn. M. MARTINO CASELIO,

Serenissimi Saxoniae Electoris Alumno,

& Facult. Philos. Adjuncto,

Ventilationi publicae subjicit

DAVID König / Gloga-Silesius.

Habebitur in Auditorio minori

D. 13. Sept. horis à 2. pomerid.



WITTEBERGÆ,

Typis AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXXVI.



DISPUTATIO METAPHYSICA

DE

VERITATE

VERITATE

ADIVVANTE OMNIBUS VERITATIS

AVCTORE

DAVID GLOGA-SILVANO



DR. MED. MAR. CASSELIO

DEPARTMENTI Saxonis Electoris & Principis

& Facultatis Philos. Alim. Gloga-Silvanus

1796 A 50

DAVID GLOGA-SILVANO

Habitu in Auditorio minor

D. 11. Sept. 1796

WITTEBERGAE


WITTEBERGAE

Typi AMBROSII ROTHMANNI Typogr.

ANNO M DC LXXXVI



Ue



Σὺν τῷ Θεῷ.

Proœmiu m.



*V*lando involuta in alto latere, dicitur Veritas, ita ut anima nostrae- am, licet interdum adspiciat, nunquam libero & perfecto lumine, sed interjecto quasi velamine videat, nec semper suâ acie eò, quo tendit, perveniat: nequa-

quam exhorrescamus illud munus, quò majus neq; homo accipere debuit, neq; dare homini Deus voluit, vel medi- tando vel dicendo investigare. Haud enim exiguam ex veritatis cognitione consequimur perfectionem. Nec pa- rum contra eâdem nobis denegatâ deperdimus. Adde, quod secus facientes non tantum errorum variorum spure citie depravemur, verum etiam Deo, nobis, proximo, imò & ipsi veriatti peccemus. Deo, quem mendacij argui- mus; nobis, dum stygma conscientia inurimus; proximo, quem vel errare facimus, vel in errore confirmamus; Ve- ritati, dum rei, quod ipsi d. betur, denegamus, aut quod ab eâ alienum est, eidem affingimus. Taceo quòd omni ho- mini partim natura insit mirabilis cognoscendi, scrutandiq; ardor, partim etiam calcar addat aurea veritatis tam- immutabilitas & suavitas, quàm augustissima illa, quâ o- mnium bonorum scaturigo salutatur, dignitas. Testatur enim hoc Plato in hac verba erumpens: Veritas profe- ctô tum Dijs, tum hominibus dux omnium est bo- norum. Cujus qui felix beatusque futurus est, stas- tim ab initio particeps esse debet, ut in veritate pluri-



num tempus vitam agat. *Suavitas quanta ejus sit vel inde patet, quod in ore omnium versetur veritas, ita ut mendacissimi etiam quicq; veritatis nomine falsum palliare presumant. Unde Plutarchus de Aegyptiis refert: illos vigesima primi mensis die diem Mercurij festum celebrasse, mel & ficos edentes, simulq; dicentes: γλυκὺ ἡ ἀλήθεια, Dulce est Veritas. Et Lactantius, nullus suavior, inquit, animo cibus est, quam cognitio veritatis. Hanc deniq; cum etiam excipiat immobilitas & aternitas, uti Prudentius asserit, dicendo:*

Vox Veritatis testis extingui nequit,

Nec si recisis palpitat meatibus:

Jure optimo propriam nobis facere debemus, & quidem ita amare, ut nec pigeat quicquam ventilationi ejus gratiam subjecisse. Sint ergo nostra, Altissimo adjuvante.

T H E S E S.

I.

Cuncta, quæ vel supra, vel infra, vel circa, imò vel intra nos inveniuntur, cum mentis acie non nihil altius intuemur, *trigam* in singulis istam deprehendimus sanè bellissimam, *Unum* nimirum, *Verum & Bonum*. Quæ sibi invicem tam arctè sunt devincta, ut assidui comites existant, hocque absente duo ista non liceat amplius reperire. Ex eorundem jam numero posteaquam nobis decretum est depromere, *Veritatem*, quæ medium sibi jure optimò in istis locum vendicat, ea prius nobis incumbet, quæ nomine veritatis venditantur, antè segregare, quam ad tractationem ejus nos conferre.

II.

Satius è dictis constat nos minimè eam veritatis acceptionem ventilationi esse subjecturos, quam dicimus *Materialem*, sive in actu exercito positam, & applicantes in disciplinis singulis quasi cum rebus concretam sumimus: De qua Suarez disput. Metaph. 8. *cōtemplationem veri materialis fieri, cognos-*

cognoscendo res & proprietates earum, prout à parte rei insunt.
 Quò modò disciplina quæ libet quandam peculiarem sibi vult
 veritatem dicari, quando omnes verè cognoscunt sua objecta.
 Sic *Metaphysica* domesticam habet veritatem, in quantum
 exhibet sola, quid verè sit Ens, substantia & accidens; *Mathe-*
matica similiter, quid verè sit triangulum, sola investigat;
Physica de auro dijudicat; quin & *Ethica* virtutè examinat; &
Politica, quid verè Respublica, *Oeconomica*, quid verè domus
 sit, docet & pertractat. III.

Verùm laborum impendemus nostrum in eandem
 veritatis considerationem, quæ *formalis* nuncupatur rationem
 nimirum formalem expendens tam *de finiendo*, quidnam for-
 maliter veritas sit, quàm *dividendo*, quotuplex sit & quomodo
 ad Ens comparetur.

IV.

In hac insuper significatione, quæ in actu signato pro-
 priè sic dicitur, cum plures ad diversas pertinentes disciplinas
 veritates à Metaphysico considerentur & quidem *incidenter*,
 Veritas videlicet *Ethica*, Veritas *in significando* & *cognoscendo*,
conceptuum, vocum, literarum, sententiarum & connexionum Veri-
 ritas, saltem ea *in Essendo* nobis per se tractanda venit. Illæ
 enim omnes ab hæc unâ trahunt originem ac fundamentum.
 petunt, quod de Veritate in significando affirmat Rev. & Cl.
 Dn. Lic. Scharff. in Th. Transc. p. 370. *de Veritate in significan-*
do, inquit *non opus est, ut plura addantur, cum in quibusdam*
signis nihil ferè aliud sit, quam eorum transcendentalis veritas: in
alijs verò tota procedat à veritate in cognoscendo, eamq; supponat,
cum nemo queat ex propria intentione & voluntate alicui dicere,
& significare vera, nisi ea præcognoscat. Jam verò hæc ipsa in
 cognoscendo, juxta eundem Rev. & Cl. Dn. Scharff., à rebus,
 quarum est conceptus, dependet. Res enim ubiq; est primum
 fundamentum, omnis veritatis, qui est in conceptibus, vocibus aut
 scriptis. Unde Veritas Rei est radix & mensura omnis vera co-
 gnitionis, aut orationis. Veritatem *Ethicam*, quod attinet,
 de eâ lis nobis haut suboriri poterit, siquidem sit ipsa cui Tran-
 scendentalis tanquam inferiori suo applicata. Proinde rectè
 monen-

monente Suariorū in proem. diff. 8. in *Metaphysica* de omnibus non incommode disputatur: tum quia omnes hae veritates inter se habent convenientiam, & proportionem aliquam, ratione cuius, melius intelligantur: tum maximè, quia omnis alia veritas, si realis sit, aliquo modo sub veritate Transcendentali continetur, si autem sit rationis, per analogiam & proportionem ad veritatem realem declaranda est. Non itaq; & nos absurdè fecisse videmur, si alias quoque Veritatū præter Transcendentalis rationes inferius tetigerimus.

V.

Quo minus conatus noster confusionis queat accusari, quatuor potissimum ad veritatis Transcendentalis naturam declarandam proponemus: *Quidditatem* primò, deinceps *Distinctiones*, & *Proprietates*, ultimò *Oppositum*.

VI.

Primà statim fronte in quidditatis investigatione sese offerunt duo, *Materiale* videl. & *Formale*.

VII.

Illud indigitatur, quando dicitur *Entis affectio*. Nam veritas unà cum alijs cæteris affectionibus hoc habet commune, quòd perse & necessariò Ens consequatur & denominet; quin nullum Ens exhiberi possit, quod in essentia non sit verum, & congruentiam cum intellectu divino non involvat. Satis etiam quid fundamentaliter veritas sit à Dn. Scheiblero explanatur, *Veritas*, inquit, *Entis debet in adequatâ suâ significatione implicare Entitatem ipsam: Sicut & unitas non erat solum indivisio, sed ipsa Entitas indivisa.*

VIII.

Veritatis hinc materiale est *ipsa Entitas & Essentia*, quæ quasi substat & substernitur veritati formaliter sumtæ, ita tamen ut intrinsicè & essentialiter in vero implicetur. Quod ipsum in attributis Divinis evidentissimè cernere licet: Sic Misericordia Dei non est habitudo sola ad actus miserendi, sed est ipsissima Divina Essentia, cum hoc respectu sumta. *Veritas* præterea, ut plurimum Reverendus & Cl. Dn. Scharf. loquitur, *non habet aliam Entitatem ultra Entitatem subjecti, & positivam suam*
essen

11
essentiam habet implicando ipsam Entitatem subjecti. Sin minus hoc esset, simplicissimum etiam, de quo dicitur, quod sit aliquid verum, non sine repugnantia compositum appellari mereretur, tale scil. quod constaret ex subjecto & accidente: sicut ignis est compositus ex esse suo & calore.

IX.

Nec obstat, veritatem dici Enti aliquid super addere, ut iterum Dn. Scheibl. monet, *prescindendo ab omni addito ad essentiam auri, adhuc dicitur esse verè essentia auri. E. veritas non potest consistere in aliquo addito, quod inferat aliam aliquam Entitatem, sive ea sit per modum absoluti, sive ad modum relativi.*

X.

Liquet exinde, *relationem saltem rationis* Enti à Veritate superaddi, nec illam quidem ratiocinantis, sed ratiocinatae, quæ non fictum quid est, verum fundamentum habet à parte rei.

XI.

Quandoquidem autem relatio ista nihil aliud sit, quam conformitas & congruentia ad intellectum, oblatam sic habemus *rationem Formalem*, quæ communi Doctorum suffragio ponitur *in eadem congruentiâ rei cum intellectu.*

XII.

Hæc est illa ratio & conceptibilitas, perquam veritas ultimo concipi, & ab omnibus alijs affectionibus adæquatè distingui solet. Ostenditur illud ipsum etiam ex communi loquendi more, quando eam picturam dicimus esse veram, quæ conformis est ideæ artificis, adeoq; cum intellectu ejus congruit. Sic E. omnis res creata vera erit essentialiter, quia omnis rei essentia convenit cum mente Dei T. O. M; qui omnis rei creatæ causa & quasi artifex existit.

XIII.

Observandum hic imprimis, quod non quamvis intelligamus conformitatem & congruentiam *accidentalem*, v. g. vel qualium, ut inter Paulum & Petrum est congruentia respectu eruditionis; vel quantorum, ut inter duos homines, sive bis quatuor datur una congruentia: Sed specialem illam duntaxat conformitatis seu congruentiæ rationem, quæ *essentialis* est, & dicit adæquationem correspondentiæ ad intellectum, ut

ut res tale esse habeat, quale in mente intelligentis habere debet.

XIV.

Addamus, quod conformitas hoc in loco indifferenter accipi velit, sive ea sit *Actualis*, quæ actu est in rebus, & consistit in hoc tantum, quod res talis sit, qualis actu intelligitur; sive ea sit *Aptitudinalis*, consistens maximè in hoc, quod res talis sit, ut vero & proprio conceptu talis intelligi possit. Nihil interim differt, modo illa res, quæ vera dicitur, congruat cum intellectu divino, & congruentiam aptitudinalem habeat cum intellectu creato, quamvis de facto illam congruentiam intellectus noster actu non semper apprehendat.

XV.

Cum dictum haecenus fuerit veritatem dicere conformitatem cum intellectu, præterea operæ est inquirere, quinam hic intelligatur.

XVI.

Omniùm rectissimè fecisse nos putamus, si *Intellectum indeterminate* sumi dixerimus; sive Divinus postea sit, sive Angelicus, & ita porro. Cum omnibus in specie veritas congruentiam dicit, potissimum tamen cum Divino. Divinus enim intellectus est norma omnium rerum, in tantum res vera est in quantum cum illo congruit.

XVII.

Deinde verò quæri potest de *conformitate*, an intelligenda sit in ordine ad intellectum, per modum mensurati & mensuræ; an verò tantum per modum cogniti & cognoscentis? Hoc est, an *Veritas dicat congruentiam cum intellectu, ut mensurante, an verò ut nudè cognoscente.*

XVIII.

Sed cum & ipsa Essentia Divina referatur ad seipsam, & in DEO non detur norma & normatum quod involvit dependentiam, *nostra sententia esto: quod ingenere sit explicanda in ordine ad intellectum, ut nudè cognoscentem.*

XIX.

At in *particulari* postea res creatas, facillè largimur, habere ordinem ad divinum intellectum, ut omnia non tantum cognoscentem, sed etiam ordinantem & mensurantem: cum
omnia

10
omnia Entia à DEO, alia quidem immediatè, alia verò medi-
atè, in esse, fieri, operari & conservari dependeant.

XX.

Ad eadem præcipuè, quæ *immediatè* dependent, se habet
intellectus divinus efficaciter & producentis instar. Hanc se-
cus, ut artifex producit effigiem secundum mentis ideam con-
formatam, ipse DEUS creavit res, juxta ideam, cum qua post-
quam illæ congruunt, veræ dicuntur.

XXI.

Proindè ex his facile constat, creaturas minimè *intelle-
ctum* ullum *Angelicum* agnoscere pro mensura sua, hæc siqui-
dem prærequiritur infallibilis, ad quam omnes res creatæ sese
habent dependenter, ita tamen ab eadem ut non tantum es-
sentialiter, verum & sint congruenter; quæ demum congru-
entia, si abstrahitur, Veritas nuncupari potest.

XXII.

Nec sanè quis inficiabitur *artificialium* quoque *Veritatem*
jure optimò divino intellectui adscribi posse, modò non im-
mediatè, (ad humanum enim sic tanquam normam illa ordi-
nantur,) sed *mediatè* intellexerimus.

XXIII.

Res primò artificialis vera dominatur, quæ cum intel-
lectu congruit artificis non cujusvis, impeirtus errare potest,
sed illius qui artis suæ est certus. Et ita intellectus artificis ar-
tificialis veritatis norma existit *immediata*.

XXIV.

Pòst ubi res artificiales etiam referuntur ad intellectum
divinum mediantibus aliis, nempe *imitatione*, rectè intelle-
ctus divinus Veritatem artificialem tanquam normatum suum
agnoscit. Sic pictor producit equum, qui congruit cum in-
tellectu primò hominis immediatè. Deinde mediatè ad DEI
intellectum conformitatem dicit, quatenus ad imitationem
naturalis equi formatus est. Si verò naturâ neglectâ, pictus sit
equus tribus capitibus, aut sex pedibus, nequaquam verus e-
quus est appellandus.

XXV.

B

Q. m.

Quamobrem apparet omne artificiale quandam imitationem à rebus de promptam præsupponere; quæ vel *representative* contingit, quando rem corporaliter existentem represento per figuram externam: vel *significative* fit, quando a-
ctum aliquem spirituales, reflexum tamen, alicui sistos signis.
Ut discursus vel habitus mentis potest scripto & literis significari.

XXVI.

Ex præmissis talem eruiamus de finitionem:

Veritas est affectio Entis unita, secundum quam. Ens quodvis congruit cum intellectu, maximè Divino.

XXVII.

Aliàs usitatissimè vocatur *Essentialis*: Sic homo Ens verum est, quòd constat corpore organico & anima rationali, adeoque ejusmodi habet essentiam, quæ cum intellectu Creatoris convenit. Plerumque *Transcendentalis* dicitur, quia latitudine sua omnes res prædicamentales transcendit, atque sic ad nullam Categoriã potest referri.

XXIX.

Nonnullis placet *per negationem fictionis* sive apparentiæ veritatem explicare, ut ita Ens verum sit, quod non fingitur esse, nec apparet tantum tale, quale intelligitur. Verus indelicatus est, quem experimur in omni fortuna quadratum, non lubricum in adversa, in secunda adulantem. Neque sic aurichalcum verum est aurum, cum saltem appareat esse tale, sed illud, quod tale est, quale esse debet & concipitur, verum aurum proclamare fas est. Unde Veritas à Svario explicatur per principia rei intrinseca, ut verus homo dicatur, qui principiis essentialibus constat, in quo supra Entitatem nihil additur, nisi negatio fictionis & apparentiæ. Non aliter, ac unitas Entitatem indivisam, Veritas hoc modo Entitatem cum negatione apparentiæ significat, sed hanc veritatis explicationem negativam quod non æq. accurata sit, ac quæ positiva dicitur, ostendens, in quònam formalis ratio consistit, indagansque quid propriè & præcisè veritas sit, pluribus perstringere nolumus.

29. Cor

XXIX.

Convertamur jam nos ad *Proprietates & Distinctiones.*

XXX.

Ex illis præter *Reciprocationem*, quâ veritas tot in subjectis, in quot Entitas, reperitur, & *Distinctionem*, quâ formaliter ab Ente discernitur, imprimis notatur *Intelligibilitas*, quæ veritatem rei insequitur, ideò, quia Entia congruentiam cum intellectu nostro dicunt, nobis intelligibilia sunt.

XXXI.

Distinctiones succedunt, quarum variae cum dari possint, licet non sint reales, sed potissimum ambiguitatis evolutiones, juvat præcipuas recenseri, imprimis verò, quia cognatione inter se invicem, & maximè Essentialis veritatis, ut supra dictum est, gaudere deprehenduntur.

XXXII.

Datur primò quædam *Veritas in loquendo*, quæ uti non omnibus Entibus convenit, ita non potest Entis attributum adæquatum comprobari. Sunt enim Entia quædam, cum quibus natura ita egit, ut facultates eorum in arctum traxerit, & rationem illis denegaverit, quâ instructa æque ut homines secundum virtutem actiones exercere possent. Dicitur hæc aliâ Sinceritas, Candor, Integritas & omnium rectissimè Veracitas, nilque aliud notat, nisi sermonis nostri congruentiam cum ijs, quæ in pectoris scrinio tenemus. Quo collimare videtur Philosophus, *istum*, inquit, *virum veracem esse astimandum, qui tam vitâ, quam verbis ea ipsa planè, quæ sibi insunt, neq; majora, neq; minorâ esse confitetur.* Et cum nonnunquam evenire possit, ut quispiam, alioquid falsam in re, quod putat verum esse, eloqnatur, nec propterea tamen illum queat culpâre, sed potius laudare debeat Ethicus, quia quæ in corde concoxit, protulit; planum est, ad hanc veritatem non simpliciter rei veritatem requiri, sed sufficere congruentiam oris & cordis. Unde ubi res nota est, ibi in veritate morali sunt hæc tria, *Congruentia Operis, Oris & Cordis*, uti Ethici docent.

B 2

33. Oppo-



XXXIII.

Opponitur huic *Mendacium*; quando videlicet, aliud quippiam volutat lingua, quàm unquàm cor percepit.

XXXIV.

Portò aliam habemus in *significando* ita dictam veritatem, quæ nihil aliud nisi signi cum re signata congruentiam notat. Signum a. tunc demum congruere iudicatur re cum signata, potentiæ quando cognoscenti repræsentatur, quod repræsentari debuit. Verum E. signum declaratur Effigies, quæ exactè congruit cum cæsare ejusque omnia lineamenta exhibet. Verum quoque exhibet signum rugitus leonis, gemitus columbæ & quodvis rei vel animalis unius alteriusque proprium, quò Natura idem signavit prudentissima.

XXXV.

Non sicco pede hîc prætereundum est, cùm rei consideratio sit bifariam, in se sive natura sua & *statu objectivo*, quod veritas in *significando* sit conformitas significationis ad rem significatam, non ut in se est, sed prout obijcitur *conceptui significantis*, seu abstrahitur.

XXXVI.

Notandum etiam insuper est, quod veritas sive congruentia illa non legitimo modo possit obsolvi, nisi significatio habeat positivum significatum in re. Quippe ubi non datur abstractio, ibi nec congruentia rei cum intellectu dari potest. Hoc innuit ad mod. Rev. & Excel. Dn. Jacob. Mart. quando docet, quod veritas in *significando* sit illa, quæ propriè reperitur in signis naturalibus, in quibus significatio secundum se spectata semper est vera. Hæc enim si vera non est, planè non est, quia in re non existit, licet fortè cogitetur.

XXXVII.

Postea si verum sit occurrere ibi veritatem cognitionis, ubi obvenit veritas in *significando*, ansâ arreptâ recenseamus aliquo modo, illam *incognoscendo*. Est ea nihil aliud quàm congruentia cognitionis nostræ cum rebus, quas cognoscimus. In *Physicis* tradi novimus intellectum fieri omnia, qui terminus omnia cum non accipiendus sit, quasi intellectus realiter fieret

14
fieret omnia, sed saltem intentionaliter & similitudinaliter, videmus satis clarè, qualis & hic similitudo intelligenda sit, quãdo veritas cognitionis dicitur congruentia. Explicat hoc sufficienter Rev. & Cl. Dn. Scharffius: *consistit, inquit, illa conformitas intellectus ad rem in similitudine. Ubi sciendum, quod alia similitudo sit in essendo, quæ fit per univocam & propriam convenientiam in ea forma, in qua ratio conformitatis & similitudinis constituitur, quomodo album est simile albo: alia verò in representando, quæ non fit per univocam formam, sed per ideam intentionalem, quã res sese obijciendo quasi pingit. Et talis similitudo est inter intellectum & rem cognitam.*

XXIIIX.

Huc spectat quoque *conceptus Veritas*, quam conformitatem five congruentiam esse dicimus conceptus formalis cum re concepta. Quæ rectè demum se habet, quando videl. à mente nostra idealiter ita apprehenditur res, uti revera in statu suo objectivo extra mentis operationem existit. Unde hominem qui sibi imaginatur, uti Ens quoddam corpore organico & anima rationali constans, verum hominis conceptum obtinuit. Factâ mentione *Congruentia*, hanc minimè volumus intellectam de quâdam *essentiali*, sed iterum de *intentionali*, saltem similitudine ac *representativa*; quare hæc conceptuum veritas, cum nihil minus ac scriptura sermonis, sermo conceptuum, conceptus ipsi conceptæ rei sunt signa, ad illam in significando veritatem à nonnullis non immeritò referri potest. Videre itidem hoc est ex ipso veritatum ordine, quando veritas primò *materialiter* & *fundamentaliter* in ipsis rebus, secundò *formaliter* in mentis conceptibus tanquam imagine, & deniq; *representativè* in vocibus & literis ceu signis externis esse affirmatur. Res enim representatur conceptibus, conceptus verò vel vocibus vel literis manifestantur.

XXXIX.

Præterea solent aliam adhuc veritatis tradere acceptio-
nem, quæ *sententiarum* imò & *Logica* nominatur *veritas*, sed eam ipsam ad illam in significando spectare monemus, potissimum quando sermone nostro, quod rebus vel competit vel

non competit, significamus. Ideò præter definitionem nihil
sumus proposituri. Intelligunt verò per sententiarum veri-
tatem orationum cum rebus enunciatis congruentiam. Qua-
lis est in enunciatis aut propositionibus, quando his, quod re-
bus convenit vel disconvenit, aut iisdem, tribuimus aut ab illis
removemus. Verum est;

*Omniem hominem esse animal rationale,
Nullum hominem esse lapidem.*

XL.

Tandem in Logicis extat *Veritas connexionum* dicta, de quâ
optimè *Augustinus* in lib. 2. c. 32. de Doctr. Christ. sentit, quan-
do inquit: *cum ergò sint, verae connexiones non solum verarum,*
sed etiam falsarum sententiarum, facile est veritatem connexionum
etiam in scholis illis discere, quæ præter Ecclesiam sunt; sententia-
rum autem veritas in sanctis libris Ecclesiasticis investiganda est.
Ipsa tamen veritas connexionum non instituta sed animadversa est
ab hominibus & notata, ut eã possint vel discere vel docere. Hanc
consistere statuimus, in convenientia dispositionis termino-
rum & propositionum in discursu, cujus norma sunt conse-
quentiarum Regulae, quæ à Logicis traduntur.

XLI.

Postmodum tum ex ipsa quidditatis indagatione, tum alia-
rum veritatum ab hac distinctarum recitatione *Essentialis ve-*
ritas satis cognita sit, eam, convenit, ut etiam in *Oppositione,*
spectemus. Cum autem *Veritas Transcendentalis* æquè ac uni-
tas affectionis unitæ titulo gaudeat, uti huic *non Unitas*, sic illi
non Veritas opponitur.

XLII.

Oppositum huius itaque esse nequit, vel *Positivum*; affe-
ctionis unitæ enim indoles alia est, ac disjunctæ; hæc positi-
vum, quia conjunctim cum subjecto suo recipitur, admit-
tit, illa contra respuit: vel *Privativum*; siquidem veritas hic à
nobis in *statu determinato*, ubi aliquod oppositum privativum
conceditur, non consideratur. Hinc sicubi *Mendacium* aut
Falsitatem opponunt Veritati, non accidit hoc *Essentiali*, sed
alijs veritatibus sua opposita habentibus.

43. Et qui.

XLIII.

Et quidem soli *Etbica veritati* opponitur, ut supra dictum est, *Mendacium*, quod vitiū est in disconformitate oris & cordis consistens.

XLIV.

Falsitas verò est contrapposita cæteris antea enumeratis Veritatis significationibus.

XLV

Exindè cum varia ista emergat, ac facile unius alteriusque definitio formari possit, si tantum unius eujusq; oppositi terminum positivum convenientiam sc. cum termino privativo disconvenientiā commutemus; brevitatis saltem gratiā inquiramus, an videlicet rebus, an verò intellectui ascribi queat Falsitas.

XLVI.

Nonnulli offenduntur, qui adeò crassi sunt, ut non erubescant Philosophiam, magnum illud DEI donum, falsitatis alicujus accusare, sed salva res est, si attenderimus, posse quidem accidere, ut res aliqua falsitatis argui possit, non tamen proprie, sed *ex adventitio*. Per & in se sanè nullum Ens, in quantum tale est, falsum dici potest, verum, ut eleganter dicit Rev. & Cl. D. Scharfius, *interim falsitas non gratis & voluntariè fingitur, sed omninò alicubi invenitur, aut saltem ad summum à nobis concipitur: quomodo sapè communi omnium consensu permixta falsa denominantur.*

XLVII.

Tribuitur E. *rebus falsitas*, quia falsitatis & erroris occasionem præbent, ob illam, quam cum re alia habent similitudinem. Sic radij Solis reflexi in pavonis caudâ falsi colores dicuntur, quia videl. secundum apparentiam valdè similis sunt coloribus vel viridi, vel alterius speciei. Præbent illâ ratione intellectui occasionem erroris & falsitatis, ut caudæ pavonis, columbarum, aliarumque avium plumis attribuant verum significatum coloris, qui iis non convenit. Pari ratione fallitur intellectus non satis cautus & ignarus, quando Philosophia dicit par pari esse referendum, homo habet libertatem, Theo-

Theologia verò negat; qui ex his colligit contradictionem. Non enim pugnant, contradictionis leges si adhibeantur. Posthac quoque res falsa proclamatur, quia existit *objectum*; Ita Idolum falsus nominatur DEUS, cum tamen nihil minus, quam DEUS sit. Tandem sunt nonnullæ res, quæ falsitatis nomine multis veniunt, *quatenus recedunt à perfectione debitâ*; quomodo pro falsò monstra habentur. Verùm denominatio hæc est impropria. Potius imperfectæ & defectuosæ res dicendæ sunt, quàm falsæ.

XLVIII.

Quandoquidem extra mentem in re non radicatur falsitas, & error in concipiente, non in re concepta latet, concludimus causam falsitatis esse intellectum circa rem aberrantem, quod nimirum in suis operationibus & conceptibus non adsequatur id, quod de se ex parte rei est.

Tibi DOMINE, qui totus
VERITAS ES, sic GLORIA.



05 A 1096

ULB Halle

3


003 765 253



1017







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Blue
Cyan	Cyan
Green	Green
Yellow	Yellow
Red	Red
Magenta	Magenta
White	White
3/Color	3/Color
Black	Black

113

TAPHYSICA

ATE,

VERITATIS

rea,

CASELIO,

toris Alumno,

adjuncto,

subjicit

loga-Silesius.

io minori

merid.

Acad. Typogr.

XXVI.

